

Q. K. 381, 12.

(X 130 4036)

500

II n  
6733a

PANEGYRICUS

CAROLO  
GUSTAVO

Magno Suecorum, Gothorum, Van-  
dalorumq; Regi, incruento Sarmatiæ Victori, & quaquâ  
venit Liberatori, Pio, Felici,  
Augusto:

*Heroi Afflictis in solatia, Regibus in  
exemplum, nato.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONTICKAVIANA

M. DC. LVI.

Q. K. 381, 12.



Ad

SACRAM REGIAM MAJESTATEM

SUECIÆ

**U**T nova Sarmatico LUX illucesceret Orbi,  
Splendens Arctoo prodis ab axe jubar!  
Diffugiunt tenebræ, radios nihil impedit, atq;  
Prona perennanti lumine, Terra micat.  
Regie Phœbe, procul diffundere lumina perge!  
Curia, Templamitent! splendeat Aula, Forum!

*VV. T. L. B. de B.*

*Ominosa*



Minosa Septentrionis tempestas quorsum ruis? Pluviam  
 Grandinem nuntias? Primane fulminibus tuis objicitur  
 Polonia? perdenda an salvanda? Res ipsa loqui incipit,  
 & nos alloqui Te, Aquilonarium istarum nubium Du-  
 ctor, CAROLE GUSTAVE. Te inquam, quem trimestri  
 hōc solum unum Europa tota loqui incipit: quia gesta  
 Tua, quorum fama subitō implevit Orbem, mirari &  
 stupere incipit. Ignorabat Te adhuc Orbis, quinam  
 esses, & ad quid fatis destinatus: nunc animadvertere  
 incipiunt, amici & hostes, fulmen Te esse in Omnipotentis manu, ad exsequendum nondum scimus qualia, ominamur tamen salutaria Cœlorum, de reddendis Terræ serenitatibus, decreta. Tale enim opus, Pacis & Salutis, cum ipso exorientis Belli fragoso tonitru ecce inchoas! Debellandæ superbiz prodiisti Septentrionale fulmen: & victorias à parcendo subjectis auspiciariis? quàm heroicè! incruentas Tibi sic victorias, ex hostibus Tibi sic paraturus amicos. Quem enim eminus contemnere poterat, & quem cominus non trepidare non poterat, Polonia, hostem, jam ecce agnoscit & veneratur amicum, vindicem, sospitorem! O mira factorum vis, quæ ubi Tu tantus Virtutem explicares Tuam, ubi tam laborantibus succurreres rebus, talem & tantum Tibi hunc elegerunt campum, *Sarmatiam*! Res hinc tam malè steterant, ut pejus non possent, foris domique. Foris erant barbari hostes, Bonis & Vitæ: domi simulati amici, Libertatibus inhiantes, religiosi & politici. Eoque res devenerat, ut consiliō, ære, viris & viribus exhausta, cadaver Reipublicæ videri potuerit Polonia: quia Gentem Polonam (quam inter arma, & propemodum cum armis nasci novit Orbis) sic annis aliquot fatigaverat astuta crudelitas, ut nisi Tu intervenisses armis Tuis, illisque reddidisses robur & animos, succumbendum fuisset. Agnoscimus ergo Te, Cœli delictum, à supremo rerum Moderatore huc submissum, ut cum hostibus nostris accedere videreris novus hostis, subitō appareres adventare Sospitator: à cujus præsentia hostibus extraneis injectus est terror, ut progredi non auderent; domesticis autem insperata consternatio, ut non sustinentes expectare conspectum Tuum, ultrò diffugerent: aut certè vix conspectō adventu Tuō, terga darent. Adduxisti enim

A 2      Tecum

Tecum Bonæ Causæ fiduciam ; & Terribilem illum Jehovam Exercituum, à cuius conspectu liquefcunt montes , & diffugiunt maria. Inde illi tam celeres & omnibus admirandi progressus Tui. Nempe cum divisa per tot loca ( in Livonia , Lithuania , Borussia , Polonia ) potentiâ Tuâ , de primùm aggredienda Majore Polonia cogitares , mox illam à Tuis ultroneâ deditione occupatam accepisti. Poloniam vix ingressus , ex Lithuania & Curlandia lætum nuntium , illas Tuam in fidem transisse , accepisti. Rursum ad Regni sedem Varfaviam adendam cum adjecisses mentem , illam ab hostibus derelictam , & omni præsidio nudatam , Tibi servari cognovisti : adiisti igitur , & jure illo quò , quod nullius est occupantis fit , occupasti. Cum cedentem æmulum ad Regni Metropolim , Cracoviam , insequi animum induxisses , cedere ille perrexit , & vix hinc inde levitentatâ velitatione ( tametsi Exercituum numerò superior ) fugere non destitit , donec & Regni limites ( à conspectu Tuo nusquam sibi tutus visus ) excessit , coque ipso Regnum & Sceptra victricibus Tuis manibus resignavit. Quis prudens horum spectator non audire sibi videatur vocem illam Dei ad Israelem suum : *Terrorem meum præmittam ante faciem Tuam , & fundam omnem populum , ad quem ingredieris , cunctorumque inimicorum Tuorum terga vertam coram Te.* ( Exodi 23. 27. ) Et è contrario illam pavitantium Ægyptiorum vociferationem : *Fugiamus ! nam Dominus pugnat pro eis contra nos !* ( Exod. 14. 25. ) Unde discimus , & discite Tu Auguste , esse Majestatem supra Nos , quæ ut cætera quæ Mortales gerunt , ita Bellorum causas & motus , initia & progressus , moderatur : Regnaque aut tradit aut eripit , comminuitque aut firmat , quibus visum est. Quanquam quid dixi ut hæc discas ? Nobis illa discenda sunt. Tu pridem hæc nosti , ideoque cum illa Numinis Majestate jam ante susceptum hoc Bellum fœdus iniisti , & renovas quotidie , nocturnas horas perpetuò inter somnum & preces ; diurnas inter colloquia cum hominibus & cum Deo , dividens : & quod asseverant intimarum Tuarum actionum conscii , semper plus Deo quàm hominibus conversans. Macte hæc virtute magnanime Heros ! exprime sic feliciter antiquos heroas sanctos ! sic demùm , ut illi , *facturus in Deo virtutes qui I P S E. conculcabit hostes Tuos.* ( Psalm. 60. 13. ) *Sic sta Uncte DEI ! Custodi vias Domini , neque Te averte à Deo Tuo ! Sint judicia Ejus in conspectu Tuo , & Iustitias eius ne repelle à Te. Immaculatus esto cum Illo & serva Te purum ab iniquitate. Ita ille cum sancto erit sanctus , & cum innocente innocens. Ita populum humilem salvum faciet , & oculos superborum humiliabit. Illuminabit Dominus lucernam Tuam , illuminabit Deus Tuus tenebras Tuas. In Domino conteres Exercitus ( si qui se opponent portò ) in DEO Tuo transibis murum. Agnosce tantùm constanter , ut agnoscere discant alii , non esse Deum præter Dominum : nec ullam rapem præter Deum nostrum. Illum Deum , qui Te præcingit virtute : qui disponit Pedes Tuos tanquam cervorum , & super excelsa statuit Te. Qui docet Manus Tuas ad prælium , & frangit Arcus ferreos*

ferreos brachiò tuo. Qui Te clypeo salutis protegit, & dexterâ suâ sustentat. Dilatat gradus Tuos sub Te, ut non vacillent pedes Tui. Facitque Te persequi inimicos Tuos, & eos comprehendere, & non reverti donec consumantur. Constringes eos, nec poterunt stare: cadent sub pedes Tuos; Clamabunt, nec erit qui salvos faciat: etiam ad Dominum, nec eos exaudiet, &c. Tu autem cum Davide dices: Vivat Dominus, benedicta rupes mea! Exaltetur Deus salutis mee! Deus qui dat vindictas mihi, & subdit populos sub me: Liberator meus de inimicis meis, &c. (Psalm. 18. versic. 24. &c.)

Redeo ad ea, quæ humanitùs Tibi Triumphatori dici possunt. Viciisti? Triumphas? Factum agnoscimus insolitâ felicitate. Haud scio, an quis unquam ita Bellum orsus & terminârit. Nempe ut priùs triumpharet, quàm vinceret: priusque vinceret, quàm hostem videret. Novum hoc victoriæ genus in Te inchoari voluit supremum Numen, ut Te ad inusitata natum ostenderet. Multùm sibi Julius Cæsar illò suò, VENI, VIDI, VICI, nempe hostilem Exercitum unum, placuit. Tu plures Exercitus, integraque Regna, Veniendo & Videndo Vincis. Amplissimum Poloniæ Regnum unò trimestri Tuum factum est totum. Julii enim  $\frac{15}{25}$  die, Major Poloniæ Tuæ se dedidit fidei: Octobris  $\frac{6}{18}$  Cracovia, Minoris Poloniæ totiusque Regni Caput, suas Tibi pandit portas, suaque Regia Palatia, & Regalem Thronum, tradidit. Eademque die Quartianus Miles, universum scilicet reliquum Poloniæ Militiæ robur, fascibus Tuis sua submisit Vexilla: atque sic tota POLONIA Te salutare cæpit REGEM. Inusitata hæc esse dico, rara, mira: sed quantò magis inusitata, rara, mira, tantò magis time, ne quid inusitata infelicitatis tantæ se intermiscet felicitati. Non frustra dictum est, *Fortuna cum maxime splendet, frangitur.* Ipse mortalium felicissimus triumphis Alexander, magnus magnarum gentium domitor, docere id exemplò suò potest: qui quàm citò de Orbe subactò, tam citò adversa sors & mors de illo dejecto, triumphavit. Memineris ergò Rex Magnæ (spero quidem Te facturum, etiam nullo monitore) *Fortunam reverenter habendam: Gentique libera sic imperandum, ut illi parere libeat.* Benevolentiam eos vincere potuisti, poteris & retinere: Asperitate (quam quidem à Te alienam ipsa natura esse voluit) nihil nisi in deterius proficitur. Infinita Te id Exempla, ex universa historia deprompta, docebunt. Esacris notum est, quàm insperatò unâ die hæreditario Regno exciderit Roboam, quod placiditate retinere potuisset in perpetuum (1. Reg. 12.) Oblitus nimirum paternæ illius gnomæ, *In hilaritate vultus Regis Vita, & clementia eius quasi imber serotinus.* [Proverb. 16. 16.] Tu autem, qui Terror esse cæpisti Gentibus armatis, Spes esse incipe Orbi arma deponenti. Liberis imperare non poteris, nisi liberaliter. *Nihil violentum diuturnum; quia malus diu-*

*urnitatis custos Metus.* Diligi præstat quàm metui. Illud autem: *Oderint dùm metuant,* Ne-  
ronibus, Domitianis, Caracallis, cæterisq; lævis numinibus, relinquendum.

Resistunt quidem Tibi Polonorum nonnulli, aut certè inviti Tuo se submit-  
tunt Sceptro: quia Virtutes Tuas non intelligunt, nec intentiones salutares. Ut  
ergò intelligant, virtutes virtutibus cumulando, malevolentiamque benevolen-  
tiâ vincendo, efficies. *Barbari aut viles homines* (inquit Livius) *ubi licentia adest, ple-*  
*tumque sevi sunt. Mites in ea moderati, ingenui sanguinis & stirpis.* Utrosque Tibi ob-  
jicit Polonia: tùm efferos & immites, animas viles, assultantes & morsicantes, rur-  
sumque resultantes, canum instar: tùm moderatos & suaves generosum sangui-  
nem & heroicum, pactorum tenaces, & fidei datæ constanter memores. Illos  
domari si necesse, tutissimè id horum adhibitò consiliò facturum Te crede: quia  
venenum in Animali venenato, ne subjectum suum perimat, ipsâ balsamicâ e-  
jusdem animalis virtute optimè temperatur. Audio sanè quorundam, tantâ illâ  
Tuâ lenitate ab utentium protervitate offensorum, voces: *Polonos Nobiles, equè*  
*ut plebem servili esse ingenio, nec libertate ullâ reèrè uti, ad omnia potiùs illiberalia abuti:*  
*serviliter igitur indiscriminatim tractandos, ut ferociam deponant: Libertates illis non mi-*  
*nuendas, sed adimendas penitùs.* Ego tamen, quisquis sum, in contraria penitùs sum  
sententia: neque scilicet Tibi à Te, Rex magnanime, ob alienam stultitiam  
esse abeundum, neque ut magnanimos Polonorum spiritus à seipsis abire jubeas.  
Nec enim vel hoc vel illud poterit. Notum illud Pyrrhi de Fabricii Romani, hostis  
tùm sui, virtute pronunciatum: *Citiùs Solem à tramite suo, quam Fabricium à rectitu-*  
*dine iri amotum.* Speramus & heroicam Tuam animi Celsitudinem, non priùs à seipsa  
quàm Cæli cardines à loco suo, emotum iri. Persta igitur, dissimilis Tui fieri ne in-  
cepta! sic benignitate pervinces, promitto. Neque fieri potest, ut quicquid gene-  
rosi spiritùs inest sanguini Polono, exinguatur illicò: Vis naturæ hâc parte erum-  
pere prohibita, erumpet alibi fortiùs: dabitque plus damni illegitimas sibi aperiens  
vias. Nec optabis imperare asinis: præstat hominibus. Homo autem obtusò spi-  
ritu, & à sublimitate sua dejectus, quid rudi & abjectò distat a cællò? Deus ipse, ut ne  
coactis imperaret, liberum dedit Angelis & Hominibus arbitrium, quò splendidius  
& augustius redderet imperium suum. Et quisquam sibi hoc nomine magnus vide-  
atur, quòd metu adactis, ceu pecudibus imperet? Cave persuaderi, Rex ma-  
gne! Deum Tibi propone imitandum, cujus imaginem geris, ut Regnum Tuum  
Regni Dei referat imaginem! ut spontanei obsequii, ita Majestatis, plenissimum.  
Poloni ergò nanciant Poloni, animæ sublimes! asperitas tantùm auferatur ab hoc  
indomito spiritu, ut blandescat in se, æquè fortis futurus extra se, ad perdomandum  
suos & Tuos hostes. Nôrunt Chymici, quorum mysteria non penitùs ignoras Tu,  
Minerales spiritus, non fortes tantùm sed & feroces, ita tractare arte, ut eruditas ab  
illis & asperitas, letalis scilicet nocendi vis, auferatur: ipsâ virtute forti non immi-  
nutâ,

nutâ, depurata tantum, eoque modo auctâ. Et nescias Tu, hostiles & amicos animos tractandi artifex, blandô excelsi Tui favoris igne Humanos spiritus ita sublimare, ut separatis & combustis Polonica ferocia scoriis, mera maneat Polonica virtus? Generosum scilicet illud honestum, cedere nisi sublimiori nescium. Pro lapsu quidem sunt non nihil, & à pristina Majorum gravitate aberrârunt Poloni, fatendum est: at illam nondum deseruerunt tamen. Libertatis amorem retinent tenacissimè, mori paratiores, quàm illâ privari: tametsi dormitatione quâdam eô abducti, ut libertatem a vitâ diutiùs tueri vix potuissent, sine externi alicujus auxilii interventu: si tamen servitutis undecunque inferendâ metus erit, redibit profectò victis etiam (nondum autem sunt) in præcordia Virtus, Tibique victorias faciet ambiguas.

Quid ergò restat? Redde illis Libertates! sed auctas in majus & melius. Id autem quomodo? Extendendo Libertatem ad Omnes, & ad Omnia, & Omnimodè. Ad omnes, jubendo liberos esse omnes & singulos in universum, Procures Regni, Nobilitatem inferiorem, Civitates & Oppida, Plebemque ipsam Rusticanam suo modo & gradu. Non aliqui tantùm Gentis hujus sint liberi, sed Omnes: nempe ut quisque à maximis ad minimos, securè sua possideat; innocens nemo oppressionem (seu apertâ vi, seu juris prætextu) metuat: vivere & mori cuique suo loco liceat. Dico, Libera debere esse Omnia, Corpora, Mentis, Conscientias: ut ne quisquam alteri compedes injiciat, hujus, illius, istius, respectu. Imprimis ut manus liberè in cælum attollantur, etiam diversè de Deo sentientium; dummodò Deum colant, non blasphemant. Sola irreligiositas, & consueta (eheu!) Deum blasphemandi, & peccatis irritandi, libido, interdicta esto. Omnimodè etiam Pax & Libertas concedenda erit: præstando, ut vera sit Pax, veraque Libertas, non Pacis & Libertatis nomen, umbra, larva, fucus. Quod erit, si non ampliùs impunè peccandi, & in alios sæviendi licentia, Libertas vocetur, sed libertatis teter abusus, tetrus etiam coercendus pœnis: ut ne quis sub Libertatis falsæ imaginatione exlex sibi videatur.

Quò & hoc spectabit, ut Tuose exemplo Tuò *Parcere subiectis & debellare superbos*, imitandoque non minus modestiam & continentiam, quàm strenuitatem Tuam, commendare se & Te doceas. Magna Militiæ labes est, si milites inter amicos & hostem exiguum ponant discrimen: Provinciasque quibus liberandis aut defendendis conducti sunt, vastent. Ut ne memorem, rapiendâ aviditatem sæpè retardasse, imò amisisse victoriam: aut certè imminuisse Victoris laudes. Militiam igitur exerceant Tui, non latrocinium! Poloniam latrocinii non assuetam ne contaminent novi hospites: ut ne dici possit, Te deteriorem reddere, quàm accepisti, Poloniam. Et quia observatum est, Non tam Suecos Tuos, quàm admistam Gentium turbam, immodicis rapinis Poloniam populando dedecorare triumphos Tuos, coge eos, Suecorum Regi militantes, Suecorum sequi non tantùm fortitudinem, sed & modestiam. A-  
lias

liās Tibi & Disciplinam Tuam, (quā cessante cessabunt Victoriæ) corrumpent, & Tuos. Sed & quos Provinciis in ordine continendis præficiis, sanguifugas esse ne permitte, Rex clementissime: ut ne qui pro Te tanquam suo jam sibi divinitus dato Rege, Deum orant, exactiōibus nimis exhausti, & ad incitas redacti, non pro Te, sed contra Te suspiria mittendi occasionem habeant. Fac, amabò, ut servandæ, non perdendæ, Poloniæ causâ Te venisse, optime Rex, intelligant Omnes. Illi etiam ipsi, qui res administrant Tuas. Quod si intelligunt, meminerint simul, boni esse Pastoris tondere, non deglubere, pecus. Aut si hoc non attendunt Illi, attende Tu, cujus maximè interest, ut Regnum quàm minimè labefactatum, favorisque erga Te plenissimum, accipias. Amare Te incipient omnes, non metuere aut odisse: quia solus Subditorum Amor firma Regibus præstare Sceptra potest. *Multitudinis autem Amor vehementer movetur, inquit Cicero, Libertatis, Beneficentiæ, Fidei, Iustitiæ, cæterarumque Virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem & facilitatem, famâ & opinione.* Quæ ubi abfuerit, avertit se Amor: tam certò, ut ne Sol quidem desideretur nisi ideò, ut radios suos impertiat: ad refocillandum tamen, non ad comburendum. Et ut Bilanx in eam vergit partem unde plus accipit, ita hominum favor eò, unde plus utilitatis sperat. Ut ergò Poloniam totam habeas faventem, & cum omnium publico applausu regnes, totam Clementiæ ac Iustitiæ scutò defende. Nec tamen mala solùm ab illa ut propellas, sed bonis eam undique ut cumules, melioremque quàm accipis redas, cogita. Nempe imitando *Augustum ex Roma lateritia marmoream efficientem, Tu Auguste ex Polonia forti fortiolem, opulenta opulentiolem, celebri celebriorem, facere stude.* Spartam nactus es illustrem: illustribus hanc ornare modis, laudi Tibi cedit. Non aliud habes, quod constitutus hòc fastigiò agas, atque ut Solem cœlestem imitatus subiectæ servias Terræ, illamque collustres, calefacias, facundes, totam. Unicum Principis munus est, publicis prospicere commodis; huic rei si operam dederis sanctè, verum Dei simulacrum eris. *In hoc Reges Deo serviunt, inquit Augustinus, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant.* Prohibe igitur Latrocinia, rapinas, furta, cædes, tumultuationes, impuritates, & quicquid impium, barbarum, Virtutibus contrarium est: jube quietem, pacem, securitatem, mores castos & honestos, pietatem denique & omne feres punctum. Cæteris Mortalibus in eo stant consilia, videre quid sibi conducere possit: Principum fors longè diversissima est. Consilia scilicet Principum omnia (si invisibilem Deum visibiliter volunt referre) tantùm ad salutem Reipub. dirigenda sunt: quia hîc non suâ causâ, sed aliorum sunt, ut Nauclerus in navi. Non bonus autem fuerit Nauta, qui se malit servatum quàm Navem. *Ad Utilitatem datur Spiritus, inquit Apostolus.* Atqui, Tibi multus datus Spiritus, Sapientiæ & intellectus, Consilij & fortitudinis, Scientiæ & pietatis: ergò ad multam & multorum utilita-



utilitatem. Nullâ re Homines propiùs accedunt ad Deum, quàm salutem Hominibus dando, Cicerone id observante.

Quid autem multis? Summa Votorum, quæ optimi quique concipiunt, huc redit, ut Poloniæ jam Tuæ, ut cæteris Tuis Regnis, ut Nobis omnibus Virtutum Tuarum admiratoribus, Felicitatisque applausoribus, hanc unam præstes gratiam, *ut TE SERVES! ut EVNDEM TE, qui es, serves!*

*TE servabis*, Tuæ Vitæ parcendo, periculis illam non exponendo. Etiam Magnanimitatis modus est, Magnanime Princeps. Cave igitur, per omnia sacra obtestamur, omnia spernere pericula! cave negotia, quibus discrimen subest, per Te potiùs quàm per alios administrare! adeoque proprii corporis objectu hostiles injurias propellere. Non optabat Israel Davidem in hostes egredi secum, ne extingueretur lucerna Israel (2.Sam.21.17.&18.3.) nec optamus Te Nos, jam Tui. Cave Tibi quæsumus ab amicis & hostibus, domi forisque! invidia tam parum abesse potest à tantis Virtutibus & felicitate Tua, ut à corpore in Sole ambulantis umbra. Etiam ab amicis ut caveas, dixi: simulati enim sunt, & erunt, multi; qui Solem orientem adorabunt potius quàm occidentem, haud sincere. Non deerunt, spero, qui de nimia etiam familiaritate cavenda monebunt. Nimiam certè Humanitatem Tuam, & observant, & mirantur, & prædicant, ipsimet Poloni: qui Tabulæ Tuæ Regiæ non solùm adesse pateris quosvis, ignotus etiam, sed & ministeria Tibi præstari à quibusvis. Equidem non ignoro, optimò jure laudibus vehi illam Trajani vocem, qui Amicis incusantibus, quòd Imperatoriæ Majestatis parum memor, nimium esset omnibus expositus, respondit: *Talem præstabo Imperatorem privatis, qualem optarem ipse privatus.* Rectè hoc sanè tum, ubi Virtutis erat æstimium, & apud Omnes respectus honesti. Non satis rectè nostro ævò, ubi prodiciones, perjuria, cædes, parricidia etiam & Regicidia, clam palam regnant.

Rogamus deinde, ut Te nobis Talem diu serves, imò semper, qualem jam conspeximus & intuemur: *Augustum, Prudentem, Strenuum, Magnanimum, Clementem, Iustum, Liberalem, Pacificum, Pium, Felicem* denique: ut nobis ipsissimam æterni Regis, Dei, referas imaginem.

*Augustum* Te salutare cupimus, dùm optamus, ut Imperium Majoribus partum non angustare sed ampliare, possis, scias, velis. Quod fiet, non Provincias amittendo, sed amissas recuperando: nec vastari permittendo, sed vastatas nitori restitucendo: omniaque in majus provehendo. Cui rei bonas ministrabunt occasiones *Vkrainæ* inhabitabiles adhuc tractus, ampli & ubere glebâ, omnibusque naturæ dotibus affluentes: haud indigniores Coloniis deducendis, atque Hollandis Indiæ visæ, seu Orientales seu Occidentales: & certiore ob vicinitatem, spe. Modò ab infestatione vicinæ Barbariei tutos præstandi non desint artes: quas Tibi non de fore speramus.

Ideò enim Te nobis constanter quoque optamus *Prudentem*, ut Te ad prævidenda omnimoda Patriæ hinc in commoda inde utilitates, *Argum* habeamus centoculum: & *Strenuum*: ut in illis subito amoliendis, hisce promovendis, *Briareum* habeamus centimanum. Et quia Prudentiæ non postrema pars erit observare, si quid fuit, quod Prædecessores Populo huic reddebat suspectos, ut caveatur, fuit autem perpetua ferè intentati jugi suspicio: eam proinde Tu, prudentissime Princeps, ut Scyllam & Charybdin vitabis, *Strenuitatis* autem præcipua pars erit ad omnia, quæ fiunt, pervigil Oculus: quum non deceat dormire illum, qui ad clavum sedet, præsertim tempore, quò Navis tempestate jactatur. *Nullum autem Mare tam graves habet tempestates unquam atque omne Regnum assidue*, inquit Veterum non nemo. Semper itaq; Principi vigilandum est, ne quid erret: quia non nisi publicâ perniciæ errare potest.

Expedit etiam Te constanter *Fortem & Magnanimum* esse: ut nequid sit, quod Te à salutariter in publica commoda cogitatis avertere possit. Sicuti nec animum frangere, si non omnia semper ex voto veniant: aut si quibus prodesse quæras, ingrati sint. Quis plura mortalibus beneficia exhibet Deo ipso? & quis plus reportat ingratitudinis? Frustra speres, Serenissimè Rex, ullâ obtinere arte ut placeas omnibus: in eo præsertim Populo, ubi omnibus adeò diversum est, & plerisq; corruptum, palatum. Sufficiet placere Deo & illis, quibus Deus & Virtus cordi sunt: cæteri eminus sequentur, tamen si non omnes assequantur, præfulgidum illum & amabilem, Dei, Virtutis, Tuum, splendorem.

*Clementiam* verò, singulare illud Regum ornamentum, diuturnitatisque Regnorum basin, prorsus facies Tuam: non sub initia tantum, (juxta illud Taciti, *Novum Imperium inchoantibus utilis Clementiæ fama*) Sed perpetuò. Quippe illius tantum Principis magnitudo stabilis est, quem omnes non tam SUPRA se quam PRO se esse sciunt, & cujus curam pro salute suâ excubare intelligunt. Nempe Bonus Princeps non aliò animò esse debet in suos Cives, quàm bonus Pater familias in suos Domesticos; quid enim aliud est Regnum, quàm magna Familia? Talem si Te hoc Tuo in Regno exhibueris, efficies, ut Te plus ament quàm metuant Tui: adeoque nemo bonus metuat, soli sibi malignitatis conscii. Quin & hi, si emendabiles, potiùs Te sentiant emendatorem, quàm perditorem. Nempe quia Clementia potissimum circa ignoscendas culpas versatur, bonum est Poëtæ monitum:

*Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:*

*Quique dolet quoties cogitur esse ferox.*

Et quia summum in Regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuique iura servare (verba Gregorii Magni sunt: ) nec sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri. Tu ergò summus Justitiæ Tuo in Regno Præses, ut Nemo usquam innocens

cens lædatur, Nemini non quod suum est tribuatur, nec aliter quàm pro meritis cuiquam, seu bono seu malo, eveniat, summè accurabis: Etiam in bonorum & honorum distributione, non alia quàm merita spectans, sine prosopolepsia ulla: non Viris dans officia, sed officiis Viros. Habes hoc in Regno publicè beneficiendi amplissimam facultatem, qualem vix quisquam in Europa Regum; si sapiens Majorum institutum legitimum revocetur in usum. *Nobilitas egentior pecuniis iuvanda est à Principe*, inquit Tacitus: ne videlicet virtutibus alicubi obsteret res angusta domi, & qui per virtutem egregiè Patriam juvare possent, ut ne defectu nervi deficient. Expenderunt hoc probè, qui Remp. Polonam formârunt: dum possessionum terrestrium ad minimum sextam Regni partem in certos Capitaneatus distribuerunt, assignatos & assignandos (suis cum redditibus) iis, qui quàm optimè de Patria meriti aut merituri essent, ipsorum Regum, tanquam publicæ salutis Custodum, arbitriò. Pulchrè admodum. Sed pulchrum hoc Virtutem Civium præmiis provocandi machinamentum retrum in abusum, ut cætera, venerat; dum non accipiebat qui meruerat, sed qui emerat, seu pretiò seu adulatione. Quæ res infinitarum confusionum scaturigo fuit: quas Tu Rex sapientissime ac justissime sistere poteris, si hæc Reipub. beneficia non nisi juxta merita distribui curaveris: ut non accipiat qui accurrit primus, sed dignissimus: seu præsens seu absens, seu poscens, seu poscere verecundans. Quò fine bonum esset Te supremum Tuo in Regno virtutum Æstimatorem, omniumque publicorum bonorum & honorum Diribitorem, Calendarium publicorum Beneficiorum habere constitutum: in quo data & danda, cum catalogo illorum qui beneficiò Reipub. vivunt, aut vivere digni sunt, consignata existent, ad errores hîc faciliùs posthac præcavendos.

Justitiæ quoque insignis pars erit *Libertates promissas, aut etiam iuratas, tueri, & unicuique servare: Religiosas præsertim.* Acquiesces ergò Rex Populorum esse: Conscientiarum Regem patieris esse Christum: ut Antecessores Tui, Sigismundus Augustus, Stephanus, & quicumque regnarunt feliciter, tuò contenti soliò, Deinon invadentes Thronum. Observabis (est enim observabile) Poloniam, jam Tuam, ob Religiosa dissidia nondum se fraterno Christiano sanguine cruentasse: nec alienum hac in re sine scientia Zelum imitatam. Constituisse potiùs jam pridem Civibus suis Religione dissidentibus mutuam Tolerantiam, juratò fœdere firmatam. Hoc ergò Religiosum Fœdus, & serva Ipse, Religiosissime Rex, & servare alios coge, violari prohibe. Perjuria semper fuere abominationi Domino, nec illa dimittit impunita, etiamsi Turcæ data non servetur fides, Recordare Uladislai & Varnæ! si hîc alii peccant (qui hæreticis non servandam esse fidem malè opinantur) quid hoc ad Te? Peccent si volunt alii, non Tu: provocentque ultionem Dei alii, non Tu. Juravit enim per seipsum

psum Deus, ne Regum quidem ulli se condonaturum juramenti prævaricationem. Ezech. 17. v. 16. ad 21. Cave igitur, Rex, cave per Sanctum Dei nomen!

Jamque aliud accipe, per quod salutare TE servatorem suum queat Polonia: ut sis *Rex Pacificus*. Notum est illud: *Salus Reipub. in Legibus est*: Illud item, *Inter Arma silent Leges*: cujus veritatem tot annis suorum & hostilium Armorum collisione misera experitur Polonia, tot violentiis totalem in dissipationem data. Tu ergo Rex optime, ut Reipublicæ salus redeat, Pacem reducito: utque redire queat Pax, Arma quiescere jubeto, simul atque Virtuti Tuæ adversantia conquassata fuerint arma. Non Æolum Te sibi jam optat Polonia, Bella ex Bellis (quibus misera succubuit) proflantem, sed Solem nubila dispellentem, serenitatemque rebus suis reducentem. Satis jam irati Dei procellarum subvertentium montes, & conterentium petras, concurentiumque terram, & absumentium igne, experta est. Jam sibilum auræ lenis prospectat. Desinant ergo sub Te Principe Pacis turbines & procellæ, domi forisque. Desinat quisque alium, seu ob Religionis diversitatem, seu aliam quamcunque ob differentiam, persequi aut affligere, Te litigiorum sequestrò, concordiaque Magistrò. *Solet populus*, inquit Gregor. Nazianzenus, *etiam si ad tempus iram cohibeat, tanquam ignis in ligno delitescens, aut fluvius vi coercitus, occasione iterum oblata reaccendi & erumpere.* Quod ne in Tuo eveniat Populo, non sopire tantùm, sed extinguere penitus, mutuorum odiorum ignem quæres: idque non studia, quibus in contraria scinditur vulgus, fovendo; neque rursus illa tanquam torrentis impetum, vi coercendo; sed prudenter alioversum derivando, quò se nullâ cujusquam noxâ effundat. Deriva igitur sapiens Aquilex! occupando Gentis hujus industriam Pacis & concordiaæ artibus, ut ne se vanis & noxiis intricare, perplexare, distrahere ac dissipare, pergant.

Optat quoque Polonia Te sibi liberalem, ingenuum, apertum, quò & ipsa ingenio est: non occultum, tectum, insidiosum, qualia odit. Machiavellistas ergo, qui Tibi arcanas Populum frenandi instillare velint artes, ne admitte; Diabolismum respicit quicquid versutiam redolet. Deus omnes homines liberos fecit, Satanæque astu sub jugum missos per Filium libertati restituit: qui artes suas, salvandinos, non in occulto habet, omnia in propatulo peragit, in Ecclesiæ Ministerio. Tu ergo si salutare Opus, quod Tibi hoc cum Populo susceptum est, agis, publicè age. Et quia Te id agere multi credunt, & expectant (*publica autem expectatio magni secreti impatiens est*, monente Tacito,) fac ne aliud suspicandi cuiquam ansa relicta sit, malignissimo etiam. In Sole sint, quæ Sole teste peragi debent. Et quia *Vulgus amicitias utilitate probat*, promitte utilia, Libertatem omnigenam, & inde venientem Pacem, Securitatem, Rerum abundantiam, Florentemque statum, probabit. Sed ita, ut non promittas solùm, præstes etiam. Præstabis autem, si ductum Tuum sequi non renuent Illi, Tu autem Dei: qui

ROB

non solet non prosperare consilia ipsius consiliis (pro salute mundi) consona, cum invocatione Nominis ejus suscepta, & in ejus gloriam directa.

Quò vehementer conferet, adeoque unicè, ut sis constanter PIUS, Deoque Tuo intimè adhærens. *Cor Principis sicut Prudentia oculus, Iustitia libra, Fortitudinis sedes, Gratiarum fons, ita & Dei Templum esse debet*: demumque cum Deo, & in Deo Virtutem faciet, stabilisque cum omnibus negotiis suis, & eorum qui ab eo pendent, erit. Aliàs, sicut *Paxillus, nisi benè fixus firmiter alicui fortiori adhereat, omne quod in eo pendet, dilabitur cum omnibus ad terram: sic & Princeps, nisi suo Conditori pertinaciter adhaerit, & ipse, & omnis qui ei consentit, citò deperit*, scribit Augustinus Pater. Cui addo illud cujusdam Christiani Politici: *Credere Mundum humanis consiliis regi, subtilis atheismus est.*

Has Virtutes dum levi delineo penicillò, non aliquid à Te diversum, sed Te ipsum Tibi ostendo, Princeps clarissime: eò fine, ut dum Virtutum Tuarum conscius esse Mundum intelligis, à Te ipso nusquam abeundi necessitatem Tibi imponi sentias. Si secùs feceris, publicà noxà feceris. Ut enim Solis ecclipsis Terræ tenebras infert, rerumque perniciem secum trahit: ita Regis error, levis etiam, magnam in rebus humanis gignit perturbationem. Nempe quia Regulam in se rectam esse necesse est, si quæ illi applicantur, corrigi debent: Rex autem populi Regula est: Recta igitur sit, non plumbea, huc illuc flexilis, sed adamantina. Lapsus erigere lapsum non potest; nec ergò prolapsum Populum levare nisi erectus, sublimis, fortisque Princeps. Tu ergò sic statues, ô Rex, demum si erectus esse, sublimis, fortis, constanter allaboraveris, magnum simul & firmum Te futurum. Demum Potentia Tua non erit Torrens subitis imbribus ortus, & mox desinens: sed Fluvius fontibus æternis scaturiens, eoque quam diu volet Deus perennans, in salutem Gentium. Tantummodò vide, ut salutem Gentium, quas Tibi subdit Dominantium Dominus, purissimâ intentione invigiles! & hoc Salutis opus sub auspiciis mox Regnorum Tuorum feliciter auspiceris. Sunt enim ad quæque rerum initia ardentissimi, non Plebis tantum, sed omnium Nostrum, animi: nisi tùm res inchoantur, frigescent post Omnia. Et quia quò Victoria, eodem Populi favor inclinatur, Tibi Victori ut invidere incipiunt multi, ita favere plurimi: videndum erit, ut quemadmodum istorum invidia Te cautum, ita horum favor ad omnia, quæ publicæ salutis sunt, alacrem faciat.

Incipe igitur Magne Rex, post magnum celeriter confectum Victoriæ opus, feliciter jam aggredi conficiendum hoc in Regno *Universalis Pacis Opus*. Universale dico Pacis Opus, ubi Omnibus benè sit, & in Omnibus, & Omnimodè. Incipiat Polonia denuò, demumque verè, nescire latrocinia: sed & incipiat nunc demum nescire dissidia, æmulationes, mutuæ perniciæ machinationes. Incipiant Poloni sub Te vero Salomone suo (dabit Deus) sedere quisque sub vite sua, & sub ficu sua: liberati à metu

barbararum Gentium, Mentisq; barbarie. Ita fiet, ut quemadmodum peritus Pictor ex Tabula bellè confecta voluptatem capit, sicut & Agricola, Olitor, Faber, suis quisque Operibus fruitur: ita Tu quoque honestissimam inde, constantissimamque concipias voluptatem, si reductis ad optimas Leges ( antiquas vel novas ) in hoc novo Tuo Regno omnibus, Rempublicam Polonam efficias florentissimam, verâq; Pace, & verè aureâ Libertate, fulgidè rursus ( post nuperas tenebras ) corruscantem in oculis Gentium.

Si tamen fortè non solius Poloniae terminis Virtutem Tuam terminari Fata velint: & aliò Te, monstrorum domitorem, vocent, quas superior æternæ Providentiæ subministrare solet occasiones, ibis: Regumque Regi Christo, qui Te quoque inter Satellites suos, Regniq; sui Custodes & Tutores constituit, militare; eosque qui regnare hunc, super se superbè nolunt, Tartaros, Turcas, aliosq; infideles, ubiubi caput efferre audent, debellare audebis. Nondum enim omnes Illius debellasti hostes, neq; Tuos. In finitò major gloriæ Tuæ superest messis, si ad infinitò plures, utraq; tyrannide pressos, liberandum festinaveris. Aude festinare! aude fatorum decreta ( ad quorum tabulas propemodum admissus jam es ) exsequi. Aude nobis *Carolus Magnum*, Imperii Romani; aude *Gustavum Magnum* Regni Gothici, reparatorem, repræsentare! Et quia ominosa hæc Nomina (*Garoli & Gustavi*) in Te jungi fata voluerunt, junge quicquid Magnum cogitari potest, Rex Magne, tam magnis quas Tibi fata objiciunt occasionibus. Nec enim profectò sine omine est, quòd celerimarum victoriarum Tuarum fama Orientem usque penetravit, Constantinopolimque terroribus implet. Aude tantùm in Christiano priùs Orbe res componere! aude Europæos Reges hortari, exemplòque Tuò docere, imponere Bellis finem, optimamque rerum, quas Homini novisse datum est, quaquaversus reducere, PACEM! illam dico unam triumphis innumeris potiorem *Pacem*: illam rerum custodire salutem, & Cives æquare potentem *Pacem*: illam demum plenum virtutis opus, laborumque summam, *Pacem*: illam optimum, solumq; unum exactorum Bellosum pretium, Pacem, reducere ut discant & sciant Omnes. Repeto: Discant ex Te Reges BELLA GERERE, PACIS CAUSA: quod plerique nescire videntur. Illi nempe, qui cum Vicinis bella gerunt perpetua, tanquam moris causâ, tanquam lusûs gratiâ: ideòq; centum etiam annis Bellum unum non finiunt. At hoc quid est? Bella redintegrare immani sumptu quotannis: & recrudescente novo semper furore sanguinem fundere perpetuò; & Arces, Urbes, Provinciasq; limitaneas, mutuò sibi jam tradere jam recipere, sine fine? Annon hoc est *Nullo jaculari scopo*? Tu Poloniae calamitosis tot annorum Bellis imposito trimestri unò fine, Pacem innumerorum annorum quàm feliciter inchoas! Ut jam jam totum hoc Regnum, cum omnibus accorporatis sibi Provinciis, acclamare incipiat, *Nulla salus Bellò, Pacem Te poscimus omnes!* Gratulabundaq; de Te sibi devinjtus excitato Hercule, Sarmatia tota, Te suum Servatorem, Pacis Reparatorem, Liber-

Libertatis Vindicem, publicæq; Quietis Reductorem, salutare incipiat tota. Quas Tu voces, Victor gloriosissime, non aliter ac Augustus Patris Patriæ titulum à Populo sibi acclamatum, cum lacrymis excipies. Nec tamen Te ista elogiorum honestamenta sic, ut pueros nuces solent, delectabunt: alia Tibi Virtutis spectanda, alia expectanda, erunt præmia, quàm inanes id genus, quibus animæ humiles capiuntur, oblectationes. Præmia Tua Virtus ipsa erunt, progressusque de Virtute in virtutem, qui à Constantia in iis, quæ heroicè orsus est, expectandi sunt.

Perge itaque ostendere, *Christinam Magnam*, Magni Gustavi Filiam, nihil majus Sueciæ, imò Christiano Orbi, dare potuisse, quàm quòd Te dedit. Proavus Tuus maternus Illius paternus, Gustavus primus, Libertatem reddidit Sueciæ: Tu felix Gustavi pronepos, Gustavus Carolus, reddes Poloniæ; atq; si benigna fata volent, Europæ. Perge tantùm quòd capisti pede! Supremum Numen Opus suum, Opus salutis Orbis, quod per Te tam miraculosè inchoat, mirabiliter ad exitum deducet. Aude tantùm, Deo nixus. Orbi Christiano tuam illam sanctam impendete, ut capisti, operam, dilecte Deo! indutusq; virtute ex alto, Ecclesiam crudeliter tot modis, & tot locis, divexatam, Ægyptiacâ servitute liberare festina, Septentrionalis Moyses! per deserta tot seculis oberrantem in promissæ Terræ requiem deducere propera, victoriose Josua! Madianitas Jehovæ & Tuo gladio disjicere ne trepida, divinitus excitate Gedeon! A Philisteis, & omnibus circumjectis Dei hostibus, Populum suum vindicare aude, Deo confisissime David! Opponant se Tibi si volunt, quicumque hostes! Deus opponet Illis Te, omnipræsentia suæ scutò tectum, omnipotentiaq; suæ gladiò armatum, à quo cadant Omnes.

Nihil invictius, post Deum, quàm Religiosus Princeps, qui opus Dei agit, salvandi non perdendi Gentes: & agit cum Deo, Deo non se fretus. : & agit Deo, Deo non sibi regna quærens.

Multos habes, qui Deum pro Te orant, ut ne inferorum potestati, quæ occultas fraudes, dolos, cædes, venena, in Victores, maximè divinam tutantes causam, vibrare consuevit, quidquam in Te permittat: quinimò si quid furiarum adversus Te insurgere audeat, id totum, semper, ubique, ipsum cæleste Numen armis suis, tonitru ac fulmine, disjiciat!

Publicis ego votis addo meum: ut Te quomodo capis, porrò etiam victoriis mactet incruentis! ut felicitatem Tuam fortiter Te ferre, ut victoriis moderatè frui, ut ad alia semper majora sapienter uti, ut oppressæ Gentium & Mentium

Libertatis vindicem cluere; & sic Te magnum Gloriæ suæ  
organon, Generis autem humani delictum,  
fieri jubeat.

*Litera*

Litteræ universales

S. R. M.<sup>ti</sup> SUECIÆ, Quibus Senatores & universa Nobilitas REGNI POLONIÆ pro suscipienda tutela & patrocínio intra diem 20. Octobr. st. v. 1655. Warsaviam convocata.

**N**OS CAROLUS GUSTAVUS, DEI Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumq<sup>3</sup> Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ, Careliæ, Brema, Verda, Stetini, Pomeraniæ, Cassubia & Vandalia, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Iulii, Clivii & Montium Dux &c. Senatoribus, Dignitariis & universæ Nobilitati, Terrarum in Palatinatu Siradiensi, gratiam & favorem nostrum singularem. Non potest vos latere, quam gravibus causis moti simus, ad capiendâ adversus Regem Poloniæ armâ, præveniendâq<sup>3</sup> ea mala, quæ Nobis, Regnoq<sup>3</sup> nostro, à dicto Rege jam jam imminere vidimus. Huic armorum nostrorum justitiæ ita suffragata est Divini Numinis bonitas, ut, sine ullo impedimento, non modo nostra potestatis fecerimus urbem sedemq<sup>3</sup> Regiam Warsaviam, sed etiam felici progressu magnam partem Poloniæ victrici nostra manu peragrati simus, spe certa freti: DEUM OPT. MAX. consilia actionesq<sup>3</sup> nostras porro prospero eventu beaturum. Quamvis verò armâ nostra ulterius proferre possemus, atq<sup>3</sup> eo, quo datum est, modo victoriâ uti adversus eos, qui partibus se nostris non adjunxerunt: tamen cum ea sit indoles nostra, ut Clementiam & benignitatem potius nostram, quam iram & indignationem testatam facere velimus; proinde vos hisce clementer serioque invitamus, ut viso lectoque hoc Diplomate properè ad protectionem, tutelam & patrociniû nostrum confugiatis, & omni cum Poloniæ Rege commercio renuntietis, intraque diem 20. styl. vet. proximè instantis mensis Octobris, Warsaviam vel ipsi veniatis, vel Deputatos vestros sufficientibus mandatis instructos mittatis. Quod si feceritis, promittimus, libertatem Religionis immutabiliter conservatum iri. Deinde milites nostros ab omni Procerum & Nobilium, Civitatum, Castrorum & subditorum violenta invasione, depredatione ac direptione inhibebimus, atque commercia cum finitimis, quantum ob iniurias temporum fieri poterit, tuta & securâ prestabimus, ac postremò eorum desideriorum, quæ Statum, Dignitatem & Iura vestra concernunt, condignam rationem habebimus. Si hanc gratiam & benignitatem nostram aspernati fueritis, nec vos à Rege Poloniæ separaveritis, neque quietè vixeritis, vos pro hostibus habituri, & possessiones bonaque vestra Fisco nostro subiecturi sumus. Quibus vos Deo clementer commendamus. Dabantur Casimiriæ ad Crakoviam d. 20. Sept. Anno 1655.

Carolus Gustavus.




Q.K. 381, 12.

C A  
MAG

Magno Su  
dalorumq; Re



Quinto



236)



S  
L O

m, Van-  
& quaquâ

